

1439 les injuria abstineret, edixit, signaque ordine ad prætorium sequerentur, ubi ipse paulo post Veronensem est Princeps declaratus. Constat, in eo fædere, quod in Venetos cum Philippo percuaserat, imprimis expressum fuisse: ut si Verona Vincentiaque bello captæ essent, Mantuano Principi, non alii, quæsitæ viderentur. Secundum eam declarationem conversus hostis ad munitora urbis loca recipienda, præter arces duas in collis, & eam quæ in planicie Vetus dicitur, portas, pontes, mœnia in suam potestatem subito rededit. Adjecit præterea animum & ad ipsius Veteris arcis oppugnationem, quo Carolum filium captivum nuper adductum cognoverat: habebatque in animo, aut pontem ipsum qui fluvio incubat, rescindere, aut fosfam illi cum vallo inducere, ne arx auxilia ulla amplius sperare posset. Misit & Joannem Gonzagam fratrem ad superiores arces eodem munitionis genere ab omni externa ope excludendas. Tentavit ad hæc Clusinas angustias occupare, quo minus Sforcia captæ urbi subvenire posset. Misit & qui Jacobo Maranico, Policellæ vallis præfecto, nunciaret, se Veronam proxima nocte occupasse, & cum ipsa urbe uxorem ejus & liberos in potestate habere: fore, ut nisi primo quoque tempore daret operam, ut omnia sibi ad Clusinas angustias obfidendas paterent, domum militi diripiendam daret, uxorem & liberos extremo suppicio afficeret. Quibus ille minis tantum abfuit ut aliquo modo territus fit, quod repulso nuncio, cum ingenti agrestium manu subito Sforciæ profectus sit obviam. Eo nanque die quo urbs occupata est, tam trepidæ rei nuncius in castra ad vesperam est perlatus.

Sforcia Veronam tri-
duo post re-
cipit.

Steterat Sforcia (ad quem primum res delata fuerat) aliquanto novitate rei defixus, vix tam atrocem nuncium pro vero habiturus, nisi per literas quoque multorum id cognovisset, admonitusque esset, ut rebus prope perditis quam primum subveniret. Motis itaque ante lucem castris, abductoque ex Turbulis